LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

Em. Klussmann Philologus XXV

XIV.

Emendationes Arnobianae.

Quas ante hos quatuor annos emisi Quaestiones Arnobianas criticas, cum spectatissumo harum literarum existumatori praeter unum locum probatae essent (cf. Liter. Centralblatt 1863, nr. 23), extitit qui, quamvis rem ratione et via actam esse concederet, tamen non uno nomine sibi minus probari profiteretur (in „Beiträge zur kritik lateinischer prosaiker“ p. 21—31), Theodorum dico Hugium Helvetum. Qui ut libros Arnobianos, si minus continuis, at subsecivis studiis se attigisse fatetur, ita, etiamsi hic illic scriptorem egregie emendaverit, usum ~~tamen~~ Arnobianum mirum in modum ubique consentientem et, quamvis multorum homo sit verborum, tamen artis finibus circumscriptum non satis cognitum et perspectum habet, ut ipsum illud, quo reliquos, quotquot in hoc scriptore emendando versati sunt, notandos censui etiam in hunc doctissumum virum cetera acutum cadere videatur. Etenim, si qui scriptor antiquus ex se ipso emendandus est, hic Arnobius adeo sibi in scribendo constat, ut, nisi ex sanis partibus eam, qua aegris medearis, petiveris medicinam, verear ne futurum sit ut innumeris sanequam locis sanandis acumine et ingenio haud raro abusus esse dicaris. Ut brevis sim, ubicumque acumine ad rectum inveniendum opus erat, bene rem suam egisse videtur homo doctissumus; ubi exacta sermonis cognitione, non videtur. Velut p. 29 me increpat, qui VI, 14: (deum) *cum scias et certus sis tui esse operis et digitorum partem* spreta Ursini correctione quae est *partum*, „acutius quam felicius“ maluerim *partem* i. e. *per artem*; quippe locos Lactantianos a me ipso allatos, quam recte Ursinus correxisset, me docere

debuisse. Legitur autem apud Lactantium (Instit. IV, 1. 2) *digitorum figmenta* et (II, 2. 12): *homo quasi p a r e n s putandus est, per cuius manus nata sunt* (simulacra). Praeterea Hugius auxilio vocat Petronium (118): *neque concipere aut edere partum mens potest.* At quid illa *digitorum figmenta* ad rem? *Fingere* digitos scio, *parere* nescio, hominem *parentem* dici scio i. e. patrem, *matres* homines dici nescio, mentem (i. e. rem femininam) *partum* concipere et edere scio, digitos *matres* ignoro. Quod *VII*, 18 pro *minus* scribendum censui *muneris*, ineptum Hugio visum est; quem enim unquam de *sanguine muneris* deis oblati audivisse? At si quod deis offertur munus sanguine suo deos placare dicitur, ipsum illud munus vitam et sanguinem habere i. e. victimam esse intellegitur. Atque recte me *munus* quidem substituisse M. Hauptius (in Herme II, 11) consentit, traiectum *minus*, id quod Hugio placuit, sententiam absurdam efficere monens. Denique quae de *II*, 55 disputavi, quam essent incerta, cum ne de codicis quidem lectione constaret, bene gnarus, ut censori meo Lipsiensi recte non satisfecerunt, ita iam mihi ipsi cum Hugio minus probantur; quamquam quae Hugius suo Marte de hoc loco statuit, tam sunt infirma, ut ne ipsum quidem Hugium in eis adquiescere quovis pignore adfirmaverim; cum enim praeter hunc locum illud *quinimmo potius* nisi IV, 18, ut p. 8 et 9 exposui, in libris Arnobianis non legatur, perdoctum mehercules librarium fingit Hugius, qui ex hoc loco glossam illam adscripserit! Quae autem addit de verbis *per voluntatem ut simul intellegatur et malis eum causas dare et miseriarum esse innumerabilium conditorem*, ne intellego quidem. Quid enim? Verba *per voluntatem* coniungenda putavi cum *intellegatur*, id quod factum esse ille se mirari fatetur. Esto: coniungamus cum superioribus: *sine deo nihil fieri per voluntatem.* At per cuius voluntatem? Si quid *per voluntatem* fit *sine deo*, humanam voluntatem esse apparet, non divinam; quid enim est: sine deo aliquid fieri per eiusdem dei voluntatem? Ergo humana voluntas est; agitur tamen de voluntate divina. Quae cum ita sint, recte *per voluntatem ut simul intellegatur* coniunxisse videor. Restat, ut Hugius me falso contendisse doceat, eius modi dictionem Arnobianam non esse.

Haec sunt quae quasi pro domo praefanda habui; sunt autem
6 omnia, in quibus Hugium se mecum non consentire professus est. Neque profecto, utpote qui mea admirari non soleam, tanti duxis-

sem, ea tueri, quae multis nominibus manca sunt et parum laudis habent, nisi Hugius apertissuma me non vidisse, me miracula vendere („*höchst kurios ist sein vorschlag*") nescio qua dicendi insolentia adfirmasset. In tripode, puto, unus sedet Apollo.

Arnob. I, 3 extr.: immunis enim antiquitas malis ab his fuit, cum etiam flumina cognoverimus ingentia l i m i n i s inhorruisse siccatis? Omnes quod sciam viri docti aut *limis* substituerunt aut *limfis*. Quorum alterum et a codicum lectione longius abest et recto iudicio caret. *Limis* autem fuerunt qui recte dici negarent, ut ipse *lamis* substituendum esse olim opinarer (cfr. Sulpicius Severus Chron. I, 33 ed. Halm.). Sed recte emendatum esse *limis* Statius (Theb. IV, 698) probat:

viridisque comis *exhorruit* humor.
protinus Inachios haurit sitis ignea campos;
diffugere undae, squalent fontesque lacusque
et cava ferventi durescunt flumina limo.

De verbi *inhorrescere* notione cfr. eundem Statium (Theb. XII, 167):

at illis
horruerant lacrimae.

I, 6 in.: quamquam ista quae dicitis bella religionis nostrae ob invidiam commoveri non sit difficile comprobare post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam maiore de parte f u t u r i a r u m compressionibus imminuta. Pro corrupta illa voce editores ad unum omnes correxerunt *furiarum*. Debebant, opinor: *maiore de parte s u i f u r i a r u m compressionibus imminuta.* Quam emendationem cum ipsa codicis lectio suadet, tum usus Arnobianus poscere videtur. Sic I, 1: *sui vitio;* I, 53 med.: *in exigua sui parte;* II, 27 med.: *sine sui mutabilitate;* II, 38 extr.: *integritatem sui;* VII, 3, in.: *debet habere causam sui;* VII, 16 in.: *sui natura;* VII, 29 in.: *non habebit expositam sui causam;* VII, 44 extr.: *partem sui extremam.* Unde male fecerunt, qui spreta codicis lectione ingenua II, 42 extr.: *virilitatem sui populo publicarent* aut *utilitatem* substituerunt aut *vilitatem;* Plura de hoc usu leguntur apud. Lud. de Jan Prolegom. ad Macrobium p. XXXIX.

I, 8 extr.: nec vir prudens (Plato) *extimuit humani generis subversionem, cladem, ruinas, interitus funera rerum innovationem vocare et in iuventutem his quandam redindegratis viribus comparari.* Editores aut *in* eicere aut cum Ursino *etenim* scribere ma-

luernnt; unus dubitavit Hildebrandus. Recte. Scribendum enim *et inde*, quemadmodum etiam in codicibus Curtianis (V, 17, 8 ed. Zumpt.) *in* pro *inde* exaratum est. Eadem medicina utendum erit II, 48 in.: *inde consimiliter hic quoque, cum animas renuamus dei esse principis prolem, non continuo sequitur ut explicare debeamus, quonam parente sint editae.* Cod. *in*, quod reliqui editores eiecerunt, Hildebrandus plaudente Oehlero in *sic* mutare maluit.

I, 14 *extr.*: *quemadmodum enim res agi et usque ad hoc tempus genus quis duraret mortalium, si non omnia, quae usus ut posceret, subministraret fertilitas rerum?* Ita cod. Recte Ursinus: *quiret durare*, quod huius aetatis editores contempserunt omnes. *Quae usus sibi posceret* cum Hildebrando Oehlerus; Hugius p. 25 *ut* eicit, ut dittographia ortum. Equidem puto *quae usus vitae posceret* scribendum esse. Simillumus locus Lucreti, quem Arnobius solet imitari (VI, 10: *ad victum quae flagitat usus*). Mutila autem verba in codice non pauca inveniri postera docebunt.

I, 15 *in.* Falso hucusque interpunxerunt locum, sic distinguendum: *sed fuerunt aliquando nonnulla in necessitatibus tempora: et relaxata sunt abundantiis rursus. Contra* cet.

I, 17 *extr.* incredibilia quaedam cum Hildebrando conatur Oehlerus. Redeundum ad ea, quae recte servavit Orellius, ut tamen *iactet* scribas pro *iaciat*. Hildebrandum ne de verbi *iactari* forma nescio qua deponentiali hariolaretur deterrere debebant M. Haupti Quaestiones Catullianae p. 56.

I, 23 *med.* Hugius, ut veterum editionum lectionem *ab summi culminis decidisse fastigio* tueretur, non ad Vergilium debebat provocare, sed ad ipsum Arnobium II, 24 med.: *ex altissimi culminis se rursum praecipitasse fastigio.* Plura circumspicienti aderit Muetzell ad Curtium IV, 8, 8, p. 195.

I, 29 *med.* In codice est: *nonne huic* (deo) *omnes debemus hoc ipsum primum, quod sumus, quod esse homines dicimur, quod ab eo vel missae vel lapsae caecitate huius in corporis continemur?* Quam scripturam editores ad unum omnes mutarunt in *missi vel lapsi*; *missae* enim et *lapsae* quid sibi velint se non videre adfirmat Hildebrandus. Atqui, modo ipsum scriptorem consulas, res planissuma est. Ut singulis exemplis defungar, legitur II, 13 extr. *quid sumus homines nisi animae corporibus clausae?* Has autem animas, quibus homines simus, *ad corpora labi* statuit II, 16 in.,

videlicet ex caelo, ut legitur II, 18 in.: *neque cum animis artes caeli ex penetralibus c e c i d e r u n t*, vel II, 39, in.: *rex mundi.... ex se genitas huc animas m i s i t.* Inde apparet de animis humanis, i. e. de ea nostri parte dici, qua homines sumus. Atque re vera tale quid subodoratus est Oehlerus, *animae nostrae* excidisse et pro *continemur* scribendum esse *continentur* suspicatus. Sed cum recto iudicio incedere nesciret et genus scribendi Arnobianum plane ignoraret, melius sane fecit quod ad *lapsi* et *missi* redire maluit. Solet autem Arnobius adpositiones, quas dicunt, ita enuntiationi, cui alias adiungi solent, iniungere, ut praedicatum a primaria notione pendeat, de qua re satis erit relegasse ad ea quae Hildebrandus I, 6, p. 15 congessit. Unde emendandum est: *quod ab eo vel missae [animae] vel lapsae caecitate huius in corporis continemur.* Erat enim in codice archetypo, quem multis notis usum fuisse in quaestionibus Arnobianis docui, *missae* $\overline{ae}$ *vel lapsae,* unde quomodo ea profecta sint quae in cod. Parisino leguntur, manifestum est.

Eadem via succurrendum erit I, 31 med., cui loco vix dici potest quam perversis artificiis adhuc mederi conati sint. Legitur enim in codice: *prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quaecunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla deliniat forma corporalis, nulla determinet circumscriptio, qualitatis expers quantitatis, sine situ, motu et habitu.* Quo loco viri docti recte haeserunt in vocibus *qualitatis expers quantitatis* cui dissolutioni aut traiectis verbis aut male dispunctis subvenire voluerunt. Equidem facilluma medela ita rem expedio: *qualitatis expers, [expers] quantitatis*, ut hoc etiam loco librarius alterum vocabulum contiguum omiserit.

Nescio an simili quodam modo subveniri possit loco qui est I, 34 extr. Ibi cum cod. haec praebeat: *at vero Iuppiter, ut vos fertis, et patrem habet et matrem, avos avias, fratres, nunc nuper in utero matris suae formatus, absolutus mensibus et consummatus decem ignotam sibi in lucem sensu i r r u i s s e vitali,* ab Ursino inde correxerunt *irruit se.* Malim: *avias, fratres; nunc nuper in utero matris suae formatus, absolutus mensibus et consummatus [dicitur] decem ignotam sibi in lucem sensu irruisse vitali.* Erat enim in codice archetypo: *et consummatus* $\overline{dr}$ *decem.*

De loco *I,* 45 extr. optume meruit Hugius p. 28. Restituendus enim haud dubie loci ordo et conformatio; quam enim in his

etiam rebus sibi constare soleat Arnobius, II, 8 med. te docebit. Quamquam codicis vestigia diligenter premenda censeo, ut spreto illo quod Hugius proposuit *et iam [ambulare atque exilire] coeperant* malim *et iam* [ambulare nullius illis] *operis res erat,* ubi quae uncis inclusi Arnobiana esse non magis adfirmo quam quae Hugius addidit. Hoc tamen tenendum erit, *nullius operis res est* ab usu Arnobiano non abhorrere. Quae Hildebrandus quidem ad I, 10 p. 20 congessit, nihil faciunt ad rem; legitur autem I, 25: *communis officii res est;* et II, 57 extr.: *res est supervacui operis.*

Aegre accedo ad *I,* 51, *in.*: *Curionem aut pontificem maximum, quinimmo dialem, q u o d e i u s e s t, flaminem isto iure donavit?* Corruptam esse codicis scripturam patet, quamvis quae ea sit scriptura, Vahleno, ut eruat, relinquendum erit. Quod scripsi, se legisse testatur Hildebrandus; *quod eius est* Crusiana collatio praestat. Nihil utrimque sani. Hoc tamen certum est, nihil in illis verbis dubiis inesse posse nisi Dialem flaminem proprium Iovis esse. Quod munus per quinque et septuaginta annos cessasse Tacitus auctor est (Ann. III, 58 ibiq. Nipperdey). Qua auctoritate usus Arnobium scripsisse putaverim: *quo diu usus est.*

I, 55 *extr.*: *immo quia* (gentes) *haec omnia et ab ipso cernebant geri et ab eius praeconibus, qui per orbem totum missi beneficia patris et m u n e r a d i s animis h o m i n i b u s q u e portabant, veritatis ipsius vi victae et dederunt se deo nec in magnis posuere dispendiis membra vobis proicere et viscera sua lanianda praebere.* Praeter illud *dis* etiam *hominibusque* corruptum esse ipsa res docet. Cui enim praeter homines portaverint? Itaque huic quidem vocabulo *que* adiungi non poterat. Emendo, non curans quod secunda in codice manus adscripsit *numerandis* vel *munerandis: beneficia patris et munera d i v i n i s animis o m i n i b u s q u e portabant.* In codice archetypo erat *dīs*; *ominibus* autem et *hominibus* etiam I, 35 in codice confusa sunt.

I, 61 *med.*: *si oporteret ita fieri quemadmodum dicitis, ita fortasse fecisset; quia non oportuit, aliter fecit. Qua re isto voluit et illo genere noluit, l a t e n t a l i t e r involutae et vix ullis comprachensibiles causae.* Cum omnes a Meursio inde editores *latent taliter* scripsissent, primus Hoffmannus (Archiv für philologie und pädagogik XIII, p. 153) posterius vocabulum ut dittographia ortum eiecit, quem inscius secutus est Hugius (p. 25), iam rem expedi-

tam pollicens. At facili, nisi fallor, opera manum Arnobianam restitues, modo scripseris *latent fataliter involutae.*

II, 1 *extr.* unum vocabulum excidisse videtur, quo restituto Arnobius Arnobio redditur: *numquid adrogantiae supercilio tumidus iniurias et contumelias passim sine* [ullis] *ullius personae discriminibus inrogavit?* Cfr. III, 1: *neque apex ullus ullius praetermissus est quaestionis.*

II, 5 *med. Hild.* (II, 4 Orell. et Oehl.): *quid enim? quae vos negatis vera esse, apud vos liquent* (cod. *liquet*), *cum imminentia et nondum p a s s a nullis possint rationibus refutari?* Interpretes in hoc loco inlustrando nihil agunt. Excidit aut accusativus aut infinitivus aut utrumque.

II, 7 *in. Oehl.* (II, 6 extr. Orell. II, 2 extr. Hild.) postquam antiquiores editores rectam, qua suum Arnobio reddatur, viam monstraverunt, mirum in modum nuperi editores tergiversati sunt. Atque primum quidem Meursius melius interpunxit, vocabulum *primum* cum antecedente sententia coniungens. Ita enim et ratio et usus Arnobianus poscit. *Primum* enim deum Christianorum innumeris locis dicit, velut II, 29 extr., II, 72 med., III, 2 med. Scribendum autem: *nunquamne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, sapientiam hominis stultitiam esse apud deum primum? E c q u i ipsi penitus perspicitis vos ipsos? si quando de rebus disceptatis . . . tutari?* De voce *ecqui* cf., si tanti est, II, 29 extr. II, 30 med., de sententia Minuc. Fel. V, 5 Halm.: *satis satisque prudentes iure videamur, si secundum illud vetus sapientis oraculum nosmet ipsos familiarius noverimus.*

II, 9 *med.* Recte Hildebrandus in verbis *qui cunctarum originem ignem esse dicit aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit?* omissum esse *rerum* statuit; scribi tamen debebat *rerum cunctarum*, non *cunctarum rerum.* Cfr. I, 25 med. II, 74 extr.: *ipse rerum cunctarum pater.* Etiam *III*, 2. *med.* malim: *pater rerum ac dominus constitutor moderatorque cunctarum.*

Inveteratum ulcus haeret *II*, 11 *in.* idque tam manifestum, ut hucusque latuisse vix credibile videatur. Arnobius enim gentes increpat, quod, cum ipsae placitis et opinionibus philosophorum fidem habeant, Christianos in Christo adquiescentes vituperent. Iamque ethnicos Christianis ita opponit, ut in singularum enunciationum partibus prioribus illos id sibi ipsis concedere dicat, quod Christianis

licere negent. *Iniquitas,* pergit, *haec quanta est, ut . . . . vobis velitis dari, quod ita ab illis* (philosophis) *dicatur, accipere, vos ea quae proferuntur a Christo, audire et spectare velitis.* Vides, singula singulis opponi; *vos* autem illud nec verbum habet cui opponatur nec rem, ut sive a sententia sive ab arte grammatica plane absonum sit. Quid multa? Scribendum est: *nos ea quae proferuntur a Christo audire et spectare nolitis.*

Ursinus cum *II,* 13 *extr.* recte correxisset *abstineatis (cod. abstinetis)* ita tamen cum reliquis editoribus locum interpunxit, ut perversa exiret sententia. Scribe: *vos enim non omnes pro illarum* (animarum) *geritis incolumitatibus curas? non quod vitiis omnibus et cupiditatibus abstineatis: metus ille vos habet, ne velut trabalibus clavis adfixi corporibus haereatis.* Atque in extremis verbis ea spectat, quae philosophi quidam antiqui de animorum flagitiorum labe inquinatorum sorte post mortem futura statuerant. Cf. Plat. Phaed. p. 81 et 82 ibiq. Wyttenbach.; Moser ad Cicer. Tuscul. I, 30, 72, praecipue autem Augustin. de civit. dei XII, 26. Ut nunc quidem locus interpungitur, *non omnes* i. e. plurimi animarum curam habere dicerentur, id quod contra ipsum scriptoris consilium est.

II, 15 *in.*: *a quibusdam dicitur viris . . . animas immortales esse, deo rerum ac principi gradu proximas dignitates* cum cod. habeat, nescio cur omnes, quod sciam, editores *dignitatis* maluerint, „familiare“ codicis vitium se sustulisse opinati. At *dignitates* sensu concreto dici pro ordine dignissumo docent Fabri et Heerwagen. ad Liv. XXII, 40, 4, Halm. ad Cicer. pro Sestio 51, 109. Ipse Arnobius I, 28: *potestates*; II, 38: *tyrannos, dominos, alias potestates,* I, 46: *Christus interiorum potentiarum deus;* I, 64: *nobilitatibus.*

II, 15 *extr.* codicis lectio restituenda erit: *nec, quot in orbe sunt homines, non sunt sententiae totidem.* Nimirum qui negationem eiecerunt aut miris quibusdam coniecturis cedere iusserunt, scriptorem acerbissuma simulatione usum esse obliti videntur. Illud enim *non* coniungendum est cum vocabulo *totidem*, ut sententiarum numerum non imparem simulet numero hominum.

II, 16 *med.*: *Vultis homines insitum typhum superciliumque deponere,* cum in codice legatur *institutum*, quam vocem misere et frustra se torserunt qui tueri conati sunt, ut emendetur, primum II, 7, Oehl. (II, 3 Hild.): *nos ita caecos et superbos nescio quae*

res protulit, tum id suadere videtur, quod *spiritus* (*isti spiritum* Hildebrandus coniecit) superbiae notionem apud Arnobium quidem non habet, *typhus* autem apud eum frequens est (cf. II, 12 extr.; II, 19 in. II, 29 med.). In subsequentibus pro *furore* Oehleriano *fervore* usus Arnobianus poscit. Cf. Hildebrand ad I, 18.

II, 25 *in.*: *haecine est anima docta illa, quam dicitis, immortalis, perfecta, divina, post deum principem rerum et post mentes geminas locum obtinens quartum et affluens ex crateribus vivis?* Prima quae scripsi verba editioni Basileensi debentur; in codice est *haec intestamina*. Sed ne sic quidem scriptoris mentem intellego, quam vereor ut interpretes quotquot sunt explicuerint. *Geminae* enim *mentes* tum demum *ἄλλοι* illi *θεοί* et *δαίμονες* (plurimus de Platonica illa — cf. Timaeum Platonicum p. 81 C. D. — quam Arnobius spectat sententia est Astius ad Platon. Phaedr. Commentar. Tom. X, p. 398—402) dici possent, si illis praeter *νοῦν* illum, quem *μόνον καὶ αὐτοκράτορα βασιλεύειν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς* Anaxagoras statuit, ullus esset providendi locus relictus. Illos tamen deorum ordines hoc loco intellegi praeter dubium est. Mihi quidem, nisi ad conjectandum confugias, res expediri non posse videtur: itaque auctor sum ut scribatur: *post daemones et genios.* Daemones quamvis quos dicat nullo loco Arnobius planis verbis profiteatur, plurimi tamen scriptores ecclesiastici omnes ethnicorum deos dicere solent; *γεννητοὺς* autem *θεοὺς* illos, quo nomine qui post Platonem fuerunt *δαίμονας* Platonicos interpretati sunt, ut *genios* diceret ipsum etymon suadere poterat.

Retracto sententiam olim in Quaest. Arnob. critic. p. 4 de *II*, 28 *in.* latam, qua *ne*, quod antea *nae* scribere solebant, adfirmativum Arnobio obtrudendum pravo iudicio usus statui. Jam enim aliquid intercidisse censeo. Cum enim in cod. legatur: *ne videamus*, hanc quidem vocem non suo loco relictam, alteram eamque simillumam a librario praetermissam putaverim, ut ita ipse Arnobius scripserit: *ac ne tamen instructi non plenius abeamus, videamus ne audiamus a vobis* ect.

Eodem capite medio duobus locis Oehlerus male codicem secutus est. Nam *una enim causa res duas efficere ac sibi contraria non potest* absurdum est; immo potest duas vel plures res efficere, at non eas *sibi contrarias*; ita enim corrigendum esse reliqui editores perspexerant. Plane tamen alia res est in sequentibus: *quodsi*

animae quas vocatis membrorum impediuntur obstaculo, quominus artes suas atque antiqua s reminiscantur. Acceperant enim artes illas antequam in hanc terram mitterentur, ut quomodo *animae suas atque antiquas reminisci* dici possint non intellegatur. Itaque aut *antiqua* scribendum est aut, id quod malo, substantivum neutrum plurale intercidisse videtur. Quamquam II, 26 med. ipse Arnobius: *oblivionem priorum nullam pati.*

II, 29. *med.:* Recto iudicio egit Elmenhorstius, quod egregia Meursii coniectura probata locum sic constituit: *cum enim vos oporteret, viros recti atque integritatis auctores, typhum et adrogantiam frangere, quorum alis* (cod. *quorum malis) extollimur et inanium distendimur vanitate.* Etenim admissa voce *malis* scribendum fuerat *quibus malis.* At in sequentibus haeret ulcus: *non tantum,* pergitur, *accidere mala ista censetis, verum, quod gravius multo est, addidistis causas, quibus et vitia crescerent et inemendabilis nequitia permaneret.* Apparet enim duobus nominibus magistratus ethnicos vituperari, primum quod typhum et adrogantiam grassari patiantur, tum quod vel materiam vastioris incendii subministrent. Plane tamen contrarium in verbis, ut nunc quidem feruntur, Arnobianis inest: non tantum coerceri illam morum labem, sed etiam ali. Quae cum ita sint, alteram particulam negativam intercidisse patet: *non tantum accidere mala ista [non] censetis, verum* e. q. s. Idem accidit *II,* 49 *fin.,* ubi restituendum: *et [non] modo non parvi* (cod. *et modo non parvi,* editt. praeter Oehlerum *nec modo non parvi), sed esse nullius existimandum est mominis.* De omissa particula negativa conferri poterunt Zumpt. ad Curt. IV, 40. 17, C. W. F. Müller. in Fleckeiseni Annal. 89, p. 279.

II, 33 *in.* Hildebrandus codicis lectionem *commodi facimus sensu, quo amamus nos omnes* tueri debebat alio eiusdem scriptoris loco, qui est II, 37 extr.

II, 35 *med.: est enim quod obstare eius voluntatibus possit aut quod esse voluerit, non necessario sequatur ut fiat? An numquid nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit aut non possit?* Duplex vitium latere videtur. Prior enim sententia ne intellegitur quidem; restitue: *u t quod esse voluerit non necessario sequatur ut fiat?* In reliquis malim *divinationibus;* quamquam nescio an *nostris ex divisionibus* interpretari possis: cum in tam diversa abeant nostra de his rebus iudicia.

II, 35 extr.: si sunt prolati et geniti, et ordinis sunt posterioris et temporis ut emendetur, quamvis cum ipso codice Hildebrandus et Oehlerus et Hugius reclament, subsequens sententia flagitat, utpote eodem modo conformata. Nihili sunt quae Hildebrandus de omittenda particula congessit ad II, 25, p. 162. Neque vero recte de hac re iudicat Hugius p. 27, ubi III, 28 extr. aliquid intercidisse (id quod et ipse adnotaveram) recte suspicatus: *aut faciunt* restituit. Quippe *aut si faciunt* debebat. Plane enim in hac re Arnobius cum optumis scriptoribus consentit, ut Hugium ab illo quod tulit iudicio avocare debuerint quae Madvigius in Opusc. acad. I, 54 egregie exposuit. Sero Hildebrandus ad meliora rediit, qui cum in adnotatione illa perverse de loco V, 8 iudicasset postea *cum quo si stat* in textu exhibere maluit.

II, 36 in. Arnobius postquam deos immortales non natura, sed dei voluntate ac munere esse docuit, idem de animis humanis comprobaturus pergit: *quo igitur pacto immortalitatis largiter est donum dei certa prolatis et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare.* Ita codex. Recte editio princeps *largitus;* in reliquis nihil sani. Emendo: *quo igitur pacto immortalitatis largitus est donum diis die certa prolatis, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare.* In capitis enim antecedentis fine id quod introitum et vitae incipientis exordium habuisset, idem necessario etiam exitum habere posuerat; iam in hac quidem re animas humanas nihil a deis istis differre pergit. Ut enim certa quadam die anima, ut cum ipso Arnobio loquar, in hominem nascatur, ita etiam deos certa quadam die natos esse. Quod quid sit, ipse Arnobius docet VII, 32, ubi de natali Telluris die verba facit et deos ex uteris prodire adfirmat. De ea re quid antiqui homines statuerint docebunt te Marquardti Antiquitt. Roman. IV, 148; Prelleri Mytholog. Rom. p. 139 edit. I.

II, 36 extr. cum Arnobius ad Christi ipsius testimonium provocet, editores ad gnosticam Carpocratis aliorumque doctrinam, ut, quae in extremo hoc capite leguntur, explicarent, confugere maluerunt. Nos scriptoris verba prementes primum S. Iohannem testamur, apud quem (Evangel. VIII, 44) haec leguntur: *ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ* et VIII, 47: *διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστέ.* Haec respiciens Arnobius: *discite*, in-

quit, *ab eo qui novit et protulit in medium Christo, non esse animas regis maximi filias.* Quae autem subsequuntur: *nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas coepisse se nosse atque in sui nominis esse sententia praedicari*, in bibliis sacris non leguntur, sed ipsius Arnobii sunt suum iudicium alienae auctoritati suo more aut interponentis aut subiungentis. Sed ea verba ut recte intelligantur, is tenendus est scriptoris usus, quo, etiamsi multorum fere verborum esse soleat, sententiam aliquam, quam accuratius exponere poterat, paucis nonnunquam verbis quasi praetereundo inserit, cuiusmodi ea sunt verba *(die certa)* quae in huius capitis initio restituimus. Id quod etiam hoc loco factum est. Si enim, ait, ab ipso deo profectae essent animae, ex eo inde tempore (dicit enim *coepisse*) originis suae meminissent atque divinitatis sublimitate gloriarentur necesse erat. Jam vero animas humanas cum deis, quos ipse quidem esse negat, sed, quo melius vulgarem gentium opinionem refutare possit, esse dat et largitur, hoc loco ita de immortalitate comparat, ut utrosque eadem sorte esse doceat. Atqui de deis I, 28 med. in re plane simili haec leguntur: *per quem* (i. e. deum patrem) *esse et habere substantiam sui numinis maiestatisque coeperunt*; neque multo post: *cuncta in sui nominis naturam prosiluisse* ait. Quae cum ita sint, emendo: *nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas coepisse se nosse atque in sui nominis esse substantia praedicari*, quae verba ita construenda sunt: *nec coepisse se ab eo, quemadmodum dicitur, generatas nosse atque in sui nominis* (i. e. animarum a deo generatarum) *substantia esse praedicari* (coepisse). *Sententiae* et *substantiae* notae non multum differunt: snia et suba. Quod autem *praedicari* cum nominativo cum infinitivo coniungitur, plane Arnobianum esse docebit Hildebrand. ad VII, 46.

II, 41 med.: *ut alias aliarum raperent, ut canibus mos est et vulturiis, portiones* scribendum esse res ipsa docet; cod. *alia.* In sequentibus excidit aliquid, *patrimonia* puto (cf. II, 50 med.); [*patrimonia*] *subigerent dentibus et crudelissimo ventri darent.* Neque dubitandum quin recte Ursinus emendaverit: *et in tam saevis et horridis moribus sortem suam flerent.*

Sub eiusdem capitis finem non *linis* Heraldus suspicari debebat sed *lineis.* Cf. Huebner. in Herme I, 350. In ipsis verbis: *innecterent lineis colla* acerbissuma vanitatis irrisio est.

II, 44 in. lege: *ut eas prohiberet, absconderet.* Eodem capite

medio excidit *malorum: universorum* [*m a l o r u m*] *non alius quam ipse est causa*, cf. II, 54 seqq. Idem accidit *II*, 46 *med.*, ubi corrigendum: *quod minus* [*ab*]*esset a recto* aut *quod minus esset* [*summotum*] *a recto*: cf. VII, 35 extr., et sub finem capitis: *qui nulla alia de causa esse* [*s e*] *intelligit procreatum*. Eodem loco cum cod. Parisino retinendum erit *quamvis latens*.

II, 47 *med.* pro *m i h i istud necessario sequitur* maluerunt *nihil*; equidem *minime*.

II, 53 *med.* tantum abest ut cum Hugio p. 24 verba *ineptissime fatuae* (ita codex) eicienda putem, ut facili opera ita loci integritatem restitui censeam: *Sed stulte istud credimus. Quid ad vos*, [*si*] *ineptissime, fatue?* Quippe contiguae utrinque literae particulam conditionalem absorpserunt.

II, 56 *med.*: *mundum quidam ex sapientibus existimant neque esse s i c c a t u m neque ullo esse in tempore periturum.* Ex qua codicis scriptura non *natum*, sed *sic creatum* eruendum videtur.

II, 59 *in.* non dubito quin scribendum sit: *si praesto est quod libuerit scire et in aperto v e r u m et in scientia constitutum.* Hucusque fertur *in aperto rerum*, quod latinum non est. Cf. si tanti est II, 51. extr.; II, 72 extr.; Hildebrand. ad V, 29.

II, 59 *in.* Codex: *Dicite quid sit quod grandinem torqueat, quod guttatim faciat pluviam labi, quod imbresue nives plumeas et f o l g o r a* (a m. sec. *foliora*) *dilatarit*, in quibus verbis quid *folgora* vel monstrum illud vocabuli *foliora* sibi velint, frustra docti homines laboraverunt ut divinarent. Fuerunt, qui nullo consilio *Aeoli ora*, vel *foliola* coniectarent, fuerunt qui, velut Heinsius, ad remotissuma confugerent. Nisi fallor, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. Singula enim vides vividissumis coloribus depicta, ut quae singularum rerum propria sunt, felici quodam narrandi artificio exhibeantur: grandinum tormenta, pluviarum guttae, imbrium plumae. Sequitur ut aut substantivum cum adjectivo deesse statuas aut adiectivum cum *nivibus* iungendum. Atqui *fulgura* hoc quidem loco ineptissuma sunt. Ergo adiectivum aliquod desiderari apparet. Scribe: *quod imbres in nives plumeas et v e l l e r e a s dilatarit.* De nivium velleribus cf. interpr. ad Vergili Georg. I, 397; Wernsdorf ad Severi carm. bucol. 87 (P. L. M. II, p. 225): *quam densis fluitant velleribus nives.*

II, 59 paullo post: *quae est causa, quae ratio, ut maria sola sint aut terrarum hae dulces aliae sint amarae vel frigidae?* Ipsa opposita aliquid in codice deesse docent. Scribe: *ut maria sola [salsa] sint aut terrarum [aquae] hae dulces [vel calidae], aliae sint amarae vel frigidae.*

Neque minor in *eodem capite medio* lacuna est. Codex: (quid in mundo faciunt) *avenae, quid lolium, quid herbarum aut fruticum aut adulentia* (a. m. emendatrice *adolentia*) *naribus aut tristia in odoribus semina?* Quod quomodo nuperrumi editores ferre potuerint, non minus mirum est quam quod vetustiores aut *suaveolentia* aut *redolentia* e coniectura admiserunt. Interrogatur enim, quid *nocuae* et *molestae* res in mundo faciant, ut sive innocuis sive suavibus locus non sit. Praeterea ipsa ea quae in codice relicta sunt, aliquid desiderari clamant. Restitue: *aut a[d tactum] dolentia, naribus aut tristia in odoribus semina.*

Eodem capite extr. in codice haec leguntur: *ipsa deinde haec quid sint, s a p o r d i c o i d e s t s a p o r et cetera qualitatum distantias quibus ex rationibus ducant.* Ex ipsa horum verborum mira sane specie librarium scribendi laborem post prius illud *sapor* paullulum intermisisse patet, ut tamen, si minus verba, at sententiam loci exarandi memoria teneret. Iam cum opus intermissum denuo reciperet, aliquid sequi, quo priora, quae essent, explicarentur meminerat; itaque non inspecto exemplari pergebat *dico* (etenim se *saporem* modo scripsisse opinabatur); tum cum ad exemplar redisset, *id est sapor,* non deletis vocabulis antecedentibus, ex eo subiunxit. Itaque expunctis illis vocabulis scriptori suum ita restituetur: *ipsa deinde haec quid sint, sapor et cetera* e. q. s. Quamquam II, 60 extr. *res vestra in ancipiti est, salus dico animarum vestrarum* legi bene scio. At praeterquam quod in cod. *dici* legitur, unde *dico* coniecerunt, diversa utriusque loci conditio est. In hoc enim res gravissuma et quae in superioribus non commemorata sit, extollitur, in illo res levissumae et quae paullo ante nominatim appellentur, explicandi caussa subiunguntur, ut, qui est Latinorum hominum usus, accusativo (*saporem*) opus fuisset, in altero (si quidem, de qua re mihi quidem non liquet, recte emendaverunt), recte scribatur *salus*; quippe *dico* exhortantis esset et graviter monentis.

II, 60 *in.* Codex: *cum igitur ... neque dicere neque explanare possitis, quid sit factum aut quare aut cur oportuerit non esse.*

Hiulca verba sic restituenda esse: *aut cur oportuerit* [*esse aut*] *non esse* docet locus geminus II, 61. med.: *remittite haec deo atque ipsum scire concedite, quid, quare aut unde sit, debuerit esse aut non esse.* A subsequentibus abstinendum erit; diversa enim de codicis lectione referuntur.

II, 61 *in.* Scribe: *quid prodest, inquit, vobis investigare, conquirere, quisnam hominem fecerit.* Cod. et editt. omnes: *quid est.*

II, 61 *med.* Cod.: *vestris non est rationibus liberum, implicare vos talibus et tam remota inutilitate curare.* Recte priores editores in hoc loco haeserunt; qui cum *inutilitate* ferri non posse perspicientes *inutiliter* scribendum censuissent, Hildebrandus exemplis a re plane alienis usus codicis lectionem revocavit plaudente Oehlero. Equidem suaserim: *et tam remota involuta antiquitate*, quemadmodum solet Arnobius.

II, 63 *in.* cum in codice legatur: *potestis enim scire, quid sit cum eius nimis actum* plurimi editores *cum eis animis* maluerunt, Rigaltius *cum cunctis animis.* E codicis autem reliquiis eruendum videtur: *cum eiusmī aīs*, i. e. *cum eiusmodi animis.*

II, 67 *in. nobis intenditis aversionem et religionem priorum.* Ita codex; *ex religione* ed. princ., *a religione* Ursinus, aut hoc aut illud reliqui. *Aversio autem ex religione* ut latinum non est, ita codicis vestigia nimis reliquerunt, qui *a religione* emendaverunt. Quae in sequentibus capitibus leguntur, ubi Romanos a maiorum moribus et religione defecisse docet, faciunt ut ita emendatum velim: *aversionem* [*a more*] *et religione priorum.*

II, 67 *med.* Meursium et Lipsium egregie restituisse: *in penetralibus et colinis* comprobant ea quae leguntur apud Corssenium (Ausspr. I, 255) et Marquardtium (Antiquit. Rom. IV, 209).

II, 69 *extr.*: *quisquam hominum sciebat ..... in fulminum casibus aut extorum aliquid significaretur in venis?* optume Hoffmannus (l. l. p. 157) restituit: *extorum mali quid.*

II, 70 *med.* Codex: *rursus vero si Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Musae, Tyndaridae, Castores, ignipotensque Vulcanus Iove patre sunt prodití et genitore Saturnio procreati, antequam memoria, quam Alchmena, Maia, Iuno, Latona, Leda, Dione cum et Semela Diespetris factae sunt compressionibus fetiae, nusquam et hii gentium nec in aliqua parte rerum fuisse naturae, sed ex conventu Iovis inseminati et nati sunt et aliquem sensum

sui habere coeperunt. Exhibui verba qualia Hildebrandus se in codice invenisse scripsit; Oehlerus suos auctores Luneburgenses secutus *cum et semel a Diespetri* in Parisino esse adfirmat. Haeserunt viri docti, ut par erat, in infinitivo *fuisse*, qui unde penderet frustra circumspiciebant. Itaque praeter Oehlerum, qui *fuissent* nullo sensu substituit, uno omnes consensu *fuere*, et postea, ne Oehlero quidem excepto, *tum et Semela* scripserunt. Illud quomodo, nisi praeter codicis auctoritatem, in quem quomodo *fuisse* pro *fuere* inrepere potuerit non intellegitur, fieri potuerit nescio; hoc cur fecerint apparet. Quippe Semelam tempore extremam ab Arnobio dici perspexisse videntur. At id ipsum addita particula *et* innui praeterviderunt, ut particula *tum* non modo possis carere, sed *tum* atque *et* iuncta alterum alteri officiant. Quae cum ita sint, pro *cum* scribendum esse *quam* mihi quidem certissumum est. Alteri loco, nisi ipsum illud, ex quo infinitivus *fuisse* aptus fuerit, verbum intercidisse statuas, vix erit quomodo succurras. Verbum tamen ipsum quod fuerit non praestiterim; periclitor: *nusquam et ii [intelliguntur] gentium nec in aliqua parte rerum fuisse naturae.* Dubitabundus *Alcumenam* propono: quid dubitem, sciunt quicumque veteres codices noverunt.

II, 71. *extr. genitor Latinus cuius? Albani oppidi conditoris,* cum aperte falsum esse diu intellexissent, rasurae, quae est in codice post voc. *genitor*, quid subfuerit egregie Hildebrandus odoratus est. Quamquam non *genitor gener Latini is cuius*, id quod Arnobianum non est, sed *genitor gener Latini cuius?* debebat. Nam *Latinus* ex praecedentibus fluxit.

II, 76 *extr. quinimmo edocti sumus minas omnes quaecunque sunt parvi ducere atque aestimare fortunae, ac si quando ingruerit vis quaepiam gravior, quam finem necesse sit consequi, adscribere infortunio voluptatem, nec timere nec fugere, quo facilius exui corporalibus possimus ex vinculis et tenebrosam evadere caecitatem.* Verba sunt codicis, interpunctio editoribus debetur, qui cum plurimi suis ipsi inventis (interpunctionem dico) adquiescere non possent, in devia omnia abierunt. Integritatem tamen loci restituisse sibi visus est Hugius p. 23 et 24, qui acerrumus glossematum venator eiectis verbis *adscribere infortunio voluptatem,* modo cum Heraldo *eam* ante voces *nec timere nec fugere* intercidisse statuas, sarta tecta esse adfirmat. At vir doctissumus de usu Arnobiano, nedum de latino

securior fuisse videtur. Quid enim *aestimare fortunae?* oportebat, nisi fallor, *existimare.* Atqui ne hoc quidem Arnobianum est, qui *habendi* modo et *videndi* verba cum eiusmodi genetivo iungere soleat. Itaque cum hac quidem via incedere non liceat, alia loco medicina ratione invenienda erit. Qua re ut ita interpungas auctor sum: *quinimmo edocti sumus minas omnes quaecunque sunt parvi ducere atque aestimare, fortunae ac, si quando ingruerit vis quaepiam gravior, quam finem necesse sit consequi, adscribere infortunio voluptatem, nec timere nec fugere* e. q. s. Verba *timere* et *fugere* absoluta nihil habent quo offendaris. De persecutione enim agitur quam nec timendam nec fugiendam cum literis sacris patres vetustissumi docent.

II, 77 in.: ut si aliquis brutus ac stolidus in carcerem hominem natum inegressum quaestionum nunquam adficere segregavimus atque immanibus existimet poenis, nisi in ipsum saeviat carcerem, materiam eius comminuat atque urat tectum, parietem, ianuas partesque alias operis renudet, deiiciat, adfligat, nesciens hoc facto ei cui videatur officere dari ab se lucem et sceleratam eripi caecitatem. Haec codicis verba vix dici potest quantas interpretibus moverint turbas. Atque sine dubio nec *natum inegressum* nec *segregavimus* habent quo se tueantur. Bene Ursinus *datum;* quod autem *inegressum,* quasi glossa esset, eiecit, non bene fecit, etsi multo circumspectius quam Oehlerus, qui *inegressibilem* miro sane consilio interpretatur. Sequentia enim carcerem poni caecum, obscurum, cui deiecto demum tecto, eversis parietibus lumen reddatur, docent. Atque cum eiusmodi aliquid illi voci subesse appareat, scribendum censeo: *in carcerem hominem datum [lum]ine cassum.* Quod posui *cassum* plane Arnobianum est, *lumine* autem *cassum* Lucretianum (cf. IV, 369, V, 719). Praeterea *quaestionum immanes poenae* quae sunt, quae esse possunt? Nihilominus editores omnes tertium illud vitium sublatum putaverunt, modo scriberetur *se* vel *sese gravibus,* praeter unum Hildebrandum, qui prudenter manum de tabula abstulit. Sanum praestiteris locum scribendo: *se gravaminibus.*

II, 78 extr.: committamus nos deo nec plus apud nos valeat incredulitas nostra quam illius nominis et potentiae magnitudo, ne, dum ipsi nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id quod esse nolimus atque abnutemus verum, obrepat dies extremus et inimicae mortis reperiamur in faucibus. Ita cum codice editio

Lugdun., Hild., Oehlerus. Reliqui editores cum *adnutemus verum* latinum non esse optume perspexissent, *adnitimur verum* maluerunt. Ne hoc quidem recte. Locus plane contrario, quam quo II, 59 in. restituendum putavi, modo sanandus est: ibi enim cum *rerum* pro *verum* in codice exaratum inveniatur, hoc loco *verum* male pro *rerum* scriptum est. Itaque locum aliter dispunctum sic emendo: *ne, dum ipsi nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id quod esse nolimus atque abnutemus, r e r u m obrepat dies extremus et inimicae mortis reperiamur in faucibus.*

III, 1 *med.*: *neque enim res stare sine adsertoribus non potest religio Christiana aut eo esse comprobabitur vera, si adstipulatores habuerit plurimos et auctoritatem ab hominibus sumpserit.* Sic cum codice Oehlerus solus; Hildebrandus *restare*; reliqui *neque enim stare s. a. n. potest et religio.* Ipsum autem illud *sine adsertoribus* poscit ut emendetur: *neque enim p e r s e stare sine adsertoribus non potest religio christiana.*

III, 3. *in.*: *atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu quidquid illis adnexum est tacita ut se sentit honorificentia compraehendi, non alia ratione* e. s. q. Praeter Hildebrandum et Oehlerum omnes editores in altero *ut* offenderunt idque aut eiciendum aut *et* aut *vi* substituendum censuerunt. Sed *nominatim adorare* et *tacitam honorificentiam* cum quadam emphasi sibi opponi non animadverterunt. Corrige: *tacita v e l se sentit honorificentia compraehendi.* De postposita particula ne dubites cavebit Hildebrandus ad II, 60.

III, 3. *med.*: *si modo liquet et constat praeter ipsum regem et principem esse a l i e n u m capita, quae digesta et separata per numerum velut quemdam populum plebeiae multitudinis faciant.* Primus quid res posceret intellexit Rigaltius, *esse alia numinum capita* emendans, quem secuti Hildebrandus et Oehlerus *esse alia deum capita* maluerunt. Ad codicem proxume accedit: *esse alienigenum capita*, id quod, nisi fallor, etiam *plebeia multitudo* ut scribatur flagitat.

III, 3. *extr.*: *neque nobis in aedibus sacris effigies pro diis i l l a et simulacra velitis ostendere quae intellegitis vos quoque et recusatis et renuitis confiteri vilissimi esse formas luti et fabrorum figmenta puerilia.* Cum codice faciunt ed. pr. Urs. Orell. Hild.

Oehl.; reliqui *et illa* traiciunt. Emendandum esse *pro diis [sig]illa et simulacra* tam est manifestum, ut verbis parcere satius ducam. In sequentibus *at recusatis* cum edit. Lugdunensi maluit Oehlerus, *sed* vel *nec* alii. Equidem malim: *etsi recusatis.*

(Continuabuntur).

Dabam Rudolphopoli. *Ern. Klussmann.*

Zu Homer's Ilias.

Die alten haben Hom. Il. *Φ*, 10 flg. immer beachtet, die neuern weniger: erst Hoffmann sucht die erklärung genauer zu begründen:

. . . οἱ δ᾽ ἀλαλητῷ
ἔννεον ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλισσόμενοι περὶ δίνας,

wie jetzt die ausgaben: Heyne und so früher überhaupt κατὰ δίνας, meines erachtens richtig. Denn Xanthos wird hier nachdrücklichst als reissender strom geschildert: er und seine ufer tönen, vs. 16. 11, er ist tief, voll von strudeln, vs. 2. 8, was βαθυδίνης vs. 15 vereinigt: in ihn plumpen lediglich aus furcht die Trojaner und schwimmen ἔνθα καὶ ἔνθα, d. h. ohne vorwärts zu kommen (vrgl. Nägelsb. Erkl. anm. zu Il. II, 397), was durch ἑλισσόμενοι, das passivische, erklärt wird: die gewalt des stromes zwingt zu dem vergeblichen streben: es gehört also ἔνθα καὶ ἔνθα zum verbum finitum wie zum particip, das will wohl Schol. ad vs. 11 sagen. Daher gehören ἔννεον — ἑλισσόμενοι eng zusammen und sind durch kein komma zu scheiden, wie Doederl. Hom. Gloss. II, p. 39 angedeutet, in der ausgabe aber aufgegeben hat: zu diesem gesellt sich natürlich κατὰ δίνας: denn περὶ δίνας können sie nicht schwimmen, weil dann sie ihrem willen folgten; ausserdem ist der strom v o l l von wirbeln, so dass περὶ ganz gegen die natur der sache ist: was Spitzner ad h. l. für περὶ anführt, gehört nicht hierher: endlich wird κατὰ über allen zweifel erhoben durch inf. 353:

τείροντ᾽ ἐγχέλυές τε καὶ ἰχθύες οἳ κατὰ δίνας,
οἳ κ α τ ὰ καλὰ ῥέεθρα κυβίστων ἔ ν θ α κ α ὶ ἔ ν θ α.

Das vs. 12 folgende gleichniss bezieht sich nicht auf diese stelle, sondern hat nur das vor vs. 10 stehende im auge.

Ernst von Leutsch.


3 0112 126253563

XV.

Metrologische beiträge.

(S. Philol. XXIV, p. 588).

III. Die längen-bestimmungen Alt-Aegyptens.

Von alters her ist Aegypten als die geburtsstätte der messkunde angesehn worden: die grenzmarken des eigenthums und der felder der Nilthal-bewohner wurden jahr aus jahr ein durch das austreten des stromes weggeschwemmt und mussten von einem bis zum andern ende des landes von neuem vermessen und abgesteckt werden. Sobald Aegypten zu einem reiche vereinigt war, wurde es schon wegen der steuern-vertheilung nöthig, die ausdehnung des gesammten landes amtlich festzustellen und dass diese aufgabe mit der zeit gelang, ist bei den stets erneuten wiedermessungen nicht zu bezweifeln. Beamten und priestern konnte die länge des Nilthales, von Syene bis zu den mündungen des flusses, daher wohl bekannt sein, als griechischen forschern in dem lang verschlossenen wunderlande sich umzusehen vergönnt war und sie von allem genaue kunde einzuziehen sich angelegen sein liessen. Von dem was die priester selber wussten und mitgetheilt hatten, stattet Herodot treuen bericht ab, aber zwischen Herodot und uns liegt eine lange spanne zeit, welche seine an sich gewiss klaren und verständlichen angaben theilweise dunkel und unverständlich gemacht hat, und wird ihr verständniss durch die abweichenden angaben anderer griechischer autoren noch erschwert.

Vor allem möchte hier zu unterscheiden sein, was der chorographischen und was der mathematischen geographie angehört. Letztere existirt erst seit Eratosthenes, der ihr schöpfer ist, und Herodots wie seiner zeitgenossen und vorfahren kunde erstreckte sich